Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

historiam ad prouocandos animos feminarum. femina iudicauit. 67
femina disposuit. femina prophetauit. femina triumphauit. et
preliantibus intermixta copiis. impio uiros docuit militare. secundum
misterium uero fidei milicia ecclesie uictoria est. Non ergo habetis quod
pretentam uos excusetis femine. non habetis quod ad infir-
mitatem sexus ad amissionem subsidii maritalis. inbecillitatem
uestram referre possitis. Satis unicuique presidii est. si uirtus animi
non desit. Et ipse in uiduis frequens processus etatis. munimen
pudoris est. et ipse amissi coniugis dolor: usus operis. domus cura.
sollicitudo liberorum. nota iam pudori solet arcere lasciuiam. atque ipse
lugubris habitus. pompa funebris. fletus assiduus. et meste frontis
inaratis rugis impressa tristicia. petulantiam premit oculorum. re-
stinguit libidines. procaces auertit aspectus. Bonus custos pudoris
pietatis dolor: non obrepit culpa si cura desit. Didicistis ergo uidue
subsidio uos non egere nature. et posse salubritatem tenere consi-
lii. nec domestico indigere presidio. que etiam publice potestatis
apicem potentie uendicare. Sed fortasse dicet aliqua. esse tolera-
bilem uiduitatem cum profluant res secunde. aduersis uero uiduas cito
frangi. facile succumbere. De quo et si ipso doceam usu. leta
uiduitas magis lubrica esse quam seria. tamen scripturarum instruam
exemplis. infirmitatibus quoque uiduarum non deesse solere subsidia.
faciliusque quam ceteris diuina atque humana suppetere. et si bene
filios instruant generosos legant. Denique cum socrus simonis fe-
bribus detineretur. Petrus et Andreas rogauerunt dominum pro ea. et
stans super illam imperauit febri et remisit illam. et continuo
surgens ministrauit eis. Magnis inquit tenebatur febribus. et
rogauerunt illum pro ea. et tu habes propinquos qui deo pro te supplicent.
habes apostolos propinquos. habes martyres propinquos. si ipsa martyribus
deuotionis societate iungaris. quoque misericordie appropinques. Proximus
est enim qui misericordiam facit. Fac et tu misericordiam et eris Petro proxi-
ma. Non sanguinis necessitudo. sed uirtutis cognatio propinquos